DISP. XXI.
DE VI MAJORE ET BELLICA.

Respondente

JOHANNE GEORGIO à PONNICKAW,
Silesio.

THESIS I.

CONversiones & eversiones ab externo quę obveniunt, reliquæ nobis sunt, quarum vim *a* majorem, etsi solus naturæ Opt. Max. Imperator sistere possit, est tamen industriæ & diligentiæ civili, quantum opis humanæ est, vigilandum, ne *b* caritati annonæ, ne contagiosis morbis *c*, ne incendiis *d*, ne inundationibus *e* manus porrigatur. Hostium verò vis *f* legitima reipubl. *g* vi repellatur.

a) cui etiam optimè constituta respubl. fataliq; rerum omnium vicissitudini obnoxia, *Plat. de rep.* quem ob id injustè reprehendit discipulus, *5. polit. c. 12.* sententiam divinam præceptoris malè aliorsum torquens : Respubl. enim non aliter quàm ipsi homines, quod de peculio dixit Marcianus, *l. 40. ff. de pecul.* nascitur, crescit, decrescit, moritur, *Hipp. princ. c. ult.* Remedia verò contra vim majorem exemplum ostendit Ninivitarum, *Ion. 3.*

b) cui remedio pœnæ adversus Dardanarios, *l. 6. ff. de ext. crim.*